

tio, translatio parochorum; administratio oeconomica congruae seu eleemosynae etc. non semel agitantur et ut talia a tribunal S. C. de Propaganda fide agnita fuerunt.

Presbyteri quoque saeculares, dicti glagolitici seu illyrici, bonum adjutorium Franciscanis in cura pastorali praebuerunt, sed jura eorum minime laedere vel usurpare poterant, solum enim munere cooperatorum fungebantur.

Omnia haec ultimam ac perpetuam confirmationem a S. Sede obtinebunt occasione instaurationis hierarchiae episcopalnis ordinariae, de qua statim disserendum est nobis.

B. De jure muneris pastoralis sub instaurata hierarchia episcopali ordinaria

Tempus pro ecclesiae bosnensis reorganisatione jam saeculo XIX maturum erat. Ideo vetus sedes episcopi bosnensis Đakovo nunc denuo jurisdictionem in Bosnam extendere nitebatur. Gubernium austriacum exinde utilitatem pro finibus suis politicis eruere volebat, praesertim post occupationem Bosnae et Hercegovinae a. 1878. S. Sedes vero pro parte sua bonum commune Ecclesiae p[re] oculis habens, aequa lance cuique suum tribuere miro modo et firmitate conabatur. In tota autem tractatione hujus quaestio[n]is objectum principale erant jura Franciscanorum in parochias et ministerium pastorale, utpote unici cleri curati in illis regionibus. Propterea nunc denuo constringuntur Franciscani ex integro jura sua ad parochias demonstrare, idque expresse conditionem earum juridicam. — Huic demonstrationi succedit definitivum judicium S. Sedis, quo, omnibus omnino ad tramitem juris communis ordinatis, etiam ultimae reliquiae privilegiorum, quae Bosnae et Hercegovinae aliquo modo effigiem missionariae organisationis dabant, nunc disparent.

In sequentibus proinde videbimus actionem de restitutione hierarchiae episcopalnis ordinariae, in qua sensus gubernii austriaci ac S. Sedis de Franciscanorum juribus se manifestarunt, ac deinde positionem Franciscanorum relate ad curam pastoralem in neoinstaurata hierarchia episcopali ordinaria.